

18  
1  
58



~~C. 11. 58.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-58.  
SIGNAT. clōIōCCCXIII.



XLI,  
De  
**MEMORIA,**  
&  
**JUDICIO**

utri in re literariâ prærogativa debeatur,

*die 4. Junij ex memoriâ disceptaturi sunt*

Tres

Et à Memoriâ & Judicio satis instructi

Discipuli,

JOHANN Gottlieb MICHAELIS, Pirn. *Misn.* Valedicturus.  
CHRISTIANUS JACOBUS SCULTETUS, *Schaen.* *Luf.*  
GEORG. CHRISTOPH Brendel/ *Plaviâ-Variscus.*

Hos ut

**Dn. Patroni, Fautores & Amici,**

benevolentiam solitam audire, & desideratam presentiam

animos discipulorum excitare dignentur

*iterum iterumque his*

*precatur*

**M. JOHANNES Rosenbergs**

Schol. Bud. Evang. Rect.

\*\*\*\*\*

*Quintil. Instit. Orat. lib. XI. c. 2.*

Omnia disciplina Memoria constat,

*Ibid.*

Memoria excolendo augetur,

*Cic. de Senectut.*

Memoria minuitur, nisi exerceas.

---

Budissinæ Stanno RICHTERIANO, 1687.



2.  
**M**ateriam Scholasticam Scholastici declamatores  
sibi elegerunt. Haut abs re igitur erit de Scho-  
lâ, Scholasticorum causâ aliquid in hacce char-  
tulas conijcere. Scholam Græcum esse nomen,  
& ἀπὸ τῆς σχολῆς dictam quis ignorat? σχολή au-  
tem Otium significat. An igitur Scholæ ignavo-  
rum fucorum sunt latibula? Minimè. Otium enim duplex est:  
honestum & inhonestum, laudabile & illaudabile. Otium inhone-  
stum & illaudabile est, (ut à posteriori incipiam) quod ab inertia  
& desidia proficiscitur, illisque in delitiis est, quibus corpus vo-  
luptati, anima oneri est, ut loquitur Sallust. Catil. cap. 2. & qui  
somno ventrique dediti à bellis nihil differunt, quæ Natura  
prona & ventri obedientia finxit, ibid. c. 1. Alterum otium  
est honestum & laudabile, cum quis (1.) vel planè ab omnibus  
civilibus negotiis se remouet, tranquillitatis & studiorum  
causâ, ut olim nobilissimi Philosophi, longèq; principes, & qui-  
dam homines severi & graves, nec populi, nec Principum mores  
ferre potuerunt; vixeruntque nonnulli in agris delectati re suâ  
familiari, sicuti scribit Cic. lib. 1. Off. Huc pertinet otium lite-  
ratum, quo nihil dulcius esse Idem affirmat lib. V. Tusc. quæst.  
Otium honestum etiam (2.) est, cum quis animi relaxandi cau-  
sâ à consuetis negotiis ad certum tempus se abstrahit, ut Thra-  
sonis Terentiani Rex, cum satietas hominum, aut negotii eum  
caperet, & requiescere vellet, qui alicubi illam miseriam exspue-  
bat ex animo. Eunuch. 1. 2. Et P. Scipio Africanus, qui tamen  
nunquam se minus otiosum esse, quàm cum otiosus: nec minus  
solum, quàm cum solus esset, affirmavit. Quâ voce magnificâ  
& Principe dignâ declaravit, se in otio de negotiis cogitare, &  
in solitudine secum loqui solitum. Cic. lib. 3. Off. principio. De  
hoc otio honesto & utili eleganter Ovidius 1. Pont. 5, 21.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,  
Immodicus contra carpit utrumque labor.

Sed



3.  
Sed ut omne otium jucundum, ita obiter hic adducere liceat, quale otium sit injucundum & molestum? Respondebit ex Macrobio lib. 2. Sat. c. VII. P. Mimus. Is, joculari super cænâ exortâ quæstione, quodnam otium esset molestum, & aliud alio opinante, dixit: Podagrici pedes. Ab honesto autem & laudabili otio Schola nomen suum recepit, ut intelligerent Scholastici se aliis negotiis omissis, solis literis vacare debere. Hinc Ausonius Eidyll. 32. Protrept. ad Nepot.

Grajo Schola nomine dicta est,

Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

Tantum de Etymologiâ Scholæ. Nunc ad Homonymiam. Schola autem primò sumitur vel materialiter vel formaliter. Materialiter quidem pro ipsis ædificiis, & hospitiiis, in quibus Docentes & discentes versantur, & artes liberales tractant. Sic Luc. VII. 5. prædicatur Centurionis in exstruendâ Judæorum Synagogâ Liberalitas. Formaliter verò accipitur pro cætu docentium & discendum ea, quæ publicè privatimq; sunt utilia, uti definit Alsted. Encyclopæd. lib. 24. c. 2. (3.) Metonymicè per Metonymiam Subjecti pro adjuncto pro ipsis dogmatis, præceptis & controversiis, quæ in Scholis tractantur. Sic Cicero in Pisonem: Primum deprecor, ne me tanquam Philosophum putetis Scholam vobis aliquam explicaturum. (4.) Sub Imperatoribus imprimis Justiniani tempore, ordines Officialium, qui munere & officio aliquo in aulâ Imperatoriâ fungebantur Scholarum appellationem sortiti. Hinc Scholæ Palatinæ, & Domesticorum, nec non Scholæ militum equitum, & peditum, quarum undecim numeratæ, item Scutariorum, qui scuta Principum gerebant. Vid. Codinus Cætopalata p. 30. Bulengerus in Notitiâ Imper. & Jacob. Gutherius de Officiis domus Augustæ l. 2. c. c. 14 p. 398. imprimis etiam Jure consulti. Præ aliis notatu digna est Schola Silentiariorum. Ad hanc referunt nonnulli Amicos Principum intimos, quorum fidei

);( 2



4  
fidei arcana & silenda concedunt, uti *Hephaestion*, qui omnium Amicorum carissimus fuit Regi, una cum eo pariter educatus, secretorum omnium arbiter, Curt. 3. 12. Is est, de quo *Plutarchus* in *Apophthegm.* scribit, cui quidem *Alexander* epistolam à matre *Olympiade* missam, arcana crimina & delationes contra *Antipatrum* continentem legendam dabat, cæterum eam lectam detraxit sibi anulum, atque ori *Hephaestionis* impressit, ut os quasi obsignatum tacenda fideliter contineret. Id convenit cum voto *Siracidis* cap. 23. 33. Ita nempe nonnulli *silentarios* explicant. Aliis autem, & quidem ut mihi videtur rectius, dicuntur *silentarii*, quibus cura quietis, somnique *Augusti*, in Palatio Imperatorio commissa erat. *Claudiano* lib. 2. v. 417. in *Eutropium* ita describuntur:

*Praefecti sed adhuc gemmis, vestique dabantur  
Custodes, sacroque adhibere silentia somno.*

Vid. pluribus *Bulengerus* de *Imperatore Rom.* lib. 3. c. 23. Ejusmodi *silentariis* quandoque etiam mollioris ingenii *Duces* usi. In his fuit *Philotas* Dux *Alexandri*, cui à *Belone* objicitur, quod ne in vicina quidem diversorii quenquam commilitonum receperit; sed per dispositos, quos ad somnum habebat, omnes procul relegaverit, ne femina illa murmurantium inter se silentio verius, quam sono excitaretur. Curt. 6. XI. cum *Philota* comparat *Freinsheimius* eruditissimus *Walensteini* Ducem olim *Cæsareum*, qui omnis strepitus impatientissimus fuit, adeo ut quosdam opifices ultimo supplicio affectisse dicatur, quod artis suae exercitio molesti fuissent, non quidem somno ejus, sed meditationibus, quibus vastus animus in dies ad altiora, hoc est ad ipsum precipitium affectabat iram. Nos qui in Scholis sudamus perpetuo *silentiariorum* munere fungi, atque iterum iterumque exclamare cogimur: *silete & vacete*, atque animum advertite *Plaut.* in *Pœn.* Prolog. date silentium, *Ter.* in *Heey.* Prol. *Adeste cum silentio* *Plaut.* *Trin.* Prol. *Date operam & cum silentio animadvertite* *Ter.* in *Eun.* Prolog. *Hoc vide sis, ut alias res agunt! Hoc agite hoc animum advertite, hoc adhibere aures, ego loquar.* *Plaut.* *Pseud.* 1. 2. *Animum advertite* *Id.* in *Casin.* Prol. *Animum adverte* *ibid.* 2. 2. *Lingua sile.* *Ovid.* 2. *Pont.* 2. 59. *Hoc age, &c.* Sed satis de *silentariis*, de quibus vid. *Jacob. Gutherium* de officiis domus *Augustae* lib. 3. 6. 29, p. 804. Satis etiam

de



5.

de *Homonymia Scholæ*; nunc ad *Synonymiam* pergamus. *Synonyma* autem Scholæ sunt vel *Latina*, vel *Græca*, vel *Hebraica*. *Latina* & *Græca* simul secundum Alphabeti seriem sunt sequentia. *Academia*, *Amalthea*, *Apollonium*, *Asceterium*, *Athenæum*, *Cadmea*, *Cænobium*, *Collegium*, *Cynosarges*, *Dialectica*, *Didascalium*, *Gymnasium*, *Heracleum*, *Hermanum*, vel *Hermium*, *Ludus*, *Lycæum*, *μελετήσιον*, *Mandra*, *Monasterium*, *Museum*, *Pædagogium*, *Peripatus*, *Phronisterium*, *Stoa*, *Synagoga*, *Xystus* &c. *Hebraica* sunt *אכאדמיה* Schola, *אולוסוס* Oratorium, *בית המדרש* Domus doctrinæ, *בית אורי* domus studii, *שבת* Confessus, *סדי* Sedes, *סדר* Schola, in quâ Discipuli sedent lineatim, ut vites plantatæ, *הרכיב* ubi recumbitur discendi causâ. Quænam autem horum vocabulorum genuina sit significatio, nunc dispiciendum. *Academia* unde nomen mutuata sit, vel hodie adhuc inter *Academicos* controversatur. Alii illam quasi *ἀγνὴ τῶν δῆμων* collectionem populorum dixerunt. Alii *παρα τὸ κλέειν* ob ornando derivant. Siquidem lavacrum fuit propè urbem cum nemore junctum *Academiae*. Ex illo solebant juvenes abluere, atq; ita ornare, cum ad certos studiorum gradus conscendissent. Sunt qui deducunt ab *ἐκεία* & *δῆμος* seorsum à populo, quod *Academia* remota esset à populari strepitu & consuetudine. In loco enim nemoroso sita erat, & sex distabat stadiis *Athenis*. Ex his intelligi possunt verba *Ciceroniana* lib. 5. de finibus princip. *Inde vario sermone sex illa à Dipyllo stadia confecimus. Cum autem venissemus in Academiam, non sine causâ nobilitata spatia, solitudo ea erat, quam voluerat. Hic non immeritò quaeritur, quid fuerit Dipylum? Dipylum vel dipylon fuit una ex portis urbis Athenarum, quæ aliàs Thriasia dicta, eò quod per eam Thriasium (pagus erat Attica) iretur. Nomen habet à *δίς* bis, & *πύλη*, vel *πύλη*, porta. Nam fortè geminata fuit porta: *Basilius* videtur *Academiae* originem arcessere ab *αἰνὴ μεδελᾶ* seu medicina, & *δῆμος* populus, quasi fuerit *λαρπεῖον ψυχῶν*, seu officina sanandi animos. Namque in *Academia* magis consultum fuit animo, quàm corpori, cum cælo parùm salubri gauderet. Ita enim dicitur *Basilius*, in sermone ad Adolescentes, quomodo ex gentiliis doctrinis proficiant p. 412: *Ideo & Platonem dicunt, cognito quod ex corpore est nocumentum, Academiam Athenis in loco pestilenti elegisse, ut nimiam corporis prosperitatem, veluti vitem palmitē luxuriantem amputaret. Hoc Platonium Consilium fortè nonnullis Conditoribus olim in Germania arrisit, qui certis *Academiis* loca parùm amœna, & salubria elegerunt, ne animi civium**



*'Academicorum celi soliq<sup>3</sup>, blanditiis & delitiis illecti ab ardua Virtutis & Eruditionis viâ ad declivia voluptatis diverticula avocarentur.* Sed omnes, quas adduxi verius sunt probabiles allusiones, quam derivationes. Revera *Academia* nomen impositum ab *Academo* vel *Ecademo* quodam, viro *Philosophie* amantissimo, qui ex privatâ possessione locum fecit publicum studiorum causâ. *Academi* autem, vel *Ecademi* hujus (utrumque enim legitur) mentionem facit *Horatius* lib. 2. Ep. 2. 45.

*Scilicet ut possim curvo dignoscere rectum,*

*Atque inter Sylvas Academi quærare verum.*

Quemadmodum autem nobilissimi Philosophi in *Academia* docuerunt, uti *Xenocrates*, *Speusippus*, *Polemo*, & imprimis *Phœnix Philosophorum Plato*: ita & variis illa ornamentis, Philosophico acumine dignis, condecorata fuit. Recenset hæc *Pausanias* in Atticis, & explicat *Alstedius* in *Encycloped.* lib. 24. C. 3. hoc modo: Erant autem alia ornamenta in *Academia* foris, alia intus. Intus quasi in sacrario *Academiae* tria visebantur: *Minerva*, *Hercules*, *Olea*. Primum igitur & potentissimū significatū est illud, *DEUM* esse studiorū Ducē & Auctorem, quod gentiles *Minervæ* sive *Palladis* *Jove* natæ nomine & simulachro significabant. Atq; hanc ob causâ *Minerva*, (ut *Pausanias* in *Bœoticis* Auctor est.) *Siga*, id est magna, voce *Phœniciâ* vel *Syriâ*, apud *Cadmi* posteros dicebatur. Huic autem suberat *Draco pervigil*, monstrans ad studia literarum vigilias adhiberi oportere. Secundum fuit *Herculis* signum, illius puta *Lybici*, qui cum doctrinæ laude fortitudinem conjunxerat. Est enim *Minerva*, ut *Pausanias*, 2. *Heliacorum* ait, ἡρακλεῖ σύμαχος. Fortitudo adhæret literarum studiis, sive colas ea apud te & *Musas*, ut loquebantur veteres, sive in officiis & functionibus justis eadem occupes. Τὸ δὲ πᾶσι θυμὸν studiorum est venenum. Tertium *olea* insigne pacis, quæ literarum est Nutrix: Atq; hæc quidem intestina literarum bona: quorum unum si fregeris, earum studia fregeris, atq; sustuleris. Porrò in aditu & vestibulo *Academiae* stabat *Mercurius* pater (ut quidem volebant illi) eloquentiæ, atq; ex eo *διὰ κωπ*, quasi *interpres* appellatur. Proximum igitur *Academici* & *literarii* illius studii ornamentum est *Eloquentia*, & commoda rerum enarratio, quâ plurimū juvenus ad studia solet excitari, studentes adjuvari, & viri boni doctrinā præstantes, emenso studiorum cursu prodesse quàm pluribus, obesse nemini. Ante hunc stabant novem *Muse*, castæ illæ sorores, & filix *Mnemosynes*, seu memoriæ. Hæ igitur erant indices humanitatis, & animi. non immemoris beneficiorum, quæ per literarum monumenta, ad  
genus



genus humanum perveniunt. Hæ ergo virtutes proxime adstant *Eloquentiæ*, quia studia perpetuam quasi Adsestricem *Humanitatem* habent, *Humanitatem* colunt studiofissimè, & vicissim ab *Humanitate* coluntur honestissimè omnibus officiis, unde ἐλευθέρα *liberalia* dicuntur, & humaniora. Tertium *Academie* ornamentum, quod positum fuit ulterius petentibus *Academiam*, fuit *Ara Promethei*, quo ex loco studiosi juvenes, cum ardentibus facibus ad urbem usq; solebant currere cursu perpetuo, sed hæc lege tamen, ut faces currentium non extinguerentur; aut eas aliis ordine ferendas traderent usq; dum aliquis, ardente adhuc lampade, in urbem decurrisset, victoriamq; hoc signo comparasset. Atq; hinc illud proverbium: *Lampada tradere*. Hujus autem rei totius significatum est *Prudentia* exercitata, & labore culta. *Prudentia* enim si non colitur torpescit: Si colitur, & subactio jungitur ingenio facile victrix existit omnium. *Prometheus* itaq; sit studiosus. Nam *Epimetheo*, & bardo stipiti, nihil cum literis humanitatis. Quartum ante ingressum in *Academiam* fuit *Amoris* signum, cum arâ. Quod signum *Charmus* dedicaverat. *Amorem* intellige castum & pudicum, quo homines erga literarum studiamagis magisque exardescunt. Quintum & quidem imprimis nobile ornamentum, fuit à monumentis hinc quidem *Virorum fortium*, qui res præclaras pro Patria gerentes fortiter occubuerant, illinc verò summorum *Philosophorum*, qui scientiæ facem in publico accenderant, & omnibus præluxerant. Nimirum istiusmodi Exempla in rebus humanis plurimum possunt tum ad incitandos, tum ad retrahendos, & inhibendos animos eorum, qui incumbunt literis. Extimum ornamentum omnium ante *Academiam* fuit *geminum*, unum quidem *Diane septum*, cum signis ut ait Pausanias, Ἀρίστης καὶ καλλιστης. i. e. *Diane seu exercitationis optime seu honestissime*: alterum verò *Palæstra*, sive *gymnasi* propriè appellati, cui vacans à studiis juvenus, aliquid temporis commodè utiliterq; solebat tribuere. His itaq; signis significabatur, imperabatur, & observabatur corporum exercitatio. Sine quâ etiam præclara quævis solent torpescere ingenia. Atq; hinc factum est, ut rudes & illiterati homines ἀπάλαιοι *Græcis* dicerentur. Atq; hæc quidem sunt *Attica* illius *Academie* ornamenta; ex quibus discere est omne officium *Præceptoris* & *discipuli* (addo & *Magistratus*) circa scholas, officinas illas *Pietatis* & *Humanitatis*, non solum fundandas sed etiam administrandas. Hactenus *Alstedius* veram & vivam *Schola* benè constituta imo & frugis *Studiosi* & *Discipuli* imaginem depicturus.

Acad.



*Academiã* spatiatuſ, ſed tamen nondum ſatis. Diſcedo itaqve quidem ſed ita tamen, ut opportuno tempore redeam, ſimulq; pedem ad *Lycæum*, *Stoam* &c. proferam, ſi tamen deambulatiunculam Cœlum permiferit. Unicum adhuc addo. Tantã nempe Religione culta fuit olim *Academia*, ut videre in illa nefas fuerit. Cauſam reddit *Ælianus* lib. 3. c. 35. ὄψεσιν γὰρ καὶ παρὰ θυμὸν ἐπειρωτὸ τὸ χερσίων ἀκατον φυλαχθῆναι. i. e. Nam ab injuriã & animi diſſolutione purum & inaccessum locum, ſervare conabantur. Ab *Academiã* ad noſtram *Scholam* & *Scholasticos* in frontiſpicio *Programmatiſ* denominatos calamum verſo. In hiſ *ſecundus* jam erit *primus*, *Viri* per *Reverendi*, nunc vero *Beati*, DN. CHRISTIANI FRIEDERICI SCULJETI, Paſtoris quondam in *Schœnaviã* *Filius*, Patre pio & docto dignus. Is palmam in re literariã *MEMORIÆ* tribuet. *BRENDELIUS* verò alterum profectuum ſuorum hauri vulgariũ ſpecimen publicè editurus, argumentis ſatis ſpecioſis & feſtivis *Anteſſorem* refellet, & palmam ad *JUDICIUM* tranſferet. *Tertius*, qui ordine alius eſt *primus*, JOH. Gottlieb MICHAELIS, *Pacem* inter diſceptantes componet, & *MEMORIÆ JUDICIUM*: non ſine *judicio* maritandam eſſe evincet, ſimulq; vale *Carmine* Latino, Græco, & *Vernaculo*, tribus *Orientalibus*, *Hebraicã*, *Chaldaicã*, & *Syriacã* aucto dicet. Is à Patre multum *Reverendo* & in *Humanioribus* egregie verſato DN. JOH. CHRISTOPH. MICHAELIS, *Pastore* in arce *Electoralis*, ſui & opere editiſſimã, optimè merito, *Fantore* & *Amico* multum honorando, *Scholæ* noſtræ, & *privatæ* Tit. DN. M. WAGNERI, *Collegæ* & *Compatriſ* dilectiſſimi *informationi* concreditus eſt. Haſtenus quoq; apud nos vitam & ſtudia ita inſtituit, ut non ſine laude ad *nemora Academica* jam dimitti poſſit, præſertim cum jam ante *ſemestre ſpatium*, in *Cathedrã Scholaſticã* *progreſſus* ſuos *publicæ Cenſuræ* ſubmiſerit. Vid. *Progr.* 37. Faxit DEUS ut *Academicum* non minus, quàm *Scholaſticum ſtadium* feliciter decurrat, *Orientalis* linguas hinc captas magis excolat, & *DEI* gloriam; *Proximĩ* commodum, ſuam *ipſius famam*, & *Salutem*, & *Clariffimi* DN. Parentis vota & monita. imò etiam *noſtra* in animo inſtar theſauri cuſtodiat, & cum tempore ſalvus, *variãq; Eruditione* auctior redeat. Amen. Vale. L. B. & fave mihi, fave etiam meo, cuius gratiã, hæc ſcripſi.





Ung. VI 58 (11)

ULB Halle

3

002 686 287



5b,

VD 17  
Sep. 2000 Pd.











XLI,  
De  
**MEMORIA,**  
&  
**JUDICIO**

utri in re literariâ prærogativa debeatur,

*dic 4. Junij ex memoriâ disceptaturi sunt*

Tres

Et à Memoriâ & Judicio satis instructi

Discipuli,

JOHANN Gottlieb MICHAELIS, Pirn. *Misn.* Valedicturus.

CHRISTIANUS JACOBUS SCULTETUS, *Schaen.* *Luf.*

GEORG. CHRISTOPH Brendel/ *Plaviâ-Variscus.*

Hos ut

**Dn. Patroni, Fautores & Amici,**

benevolentia solitâ audire, & desideratâ præsentia

animos discipulorum excitare dignentur

*iterum iterumquè his*

*precatur*

**M. JOHANNES Rosenbergs**

Schol. Bud. Evang. Rect.

\*\*\*\*

*Quintil. Instit. Orat. lib. XI. c. 2.*

Omnis disciplina Memoriâ Constat,

*Ibid.*

Memoriâ excolendo augetur,

*Cic. de Senectut.*

Memoriâ minuitur, nisi exerceas.

---

Budissinæ Stanno RICHTERIANO, 1687.